

DISSERTATIONIS CRITICO-PHILOLOGICÆ,
QUÆSTIONEM

AN MIRACULA SINT DIVINÆ
MISSIONIS CRITERIA?
EXPLICATURÆ,

PARS II.

QUAM

CONS. AMPL. FAC. PHIL. REG. ACAD. ABOENSIS,
PRÆSIDE

M. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

ELOQUENT. PROF. REG. ET ORD. R. ACAD. LITT. HUM.
HIST. ET ANTIQUIT. MEMBRO,

PRO GRADU

publicæ censuræ modeſte ſubmittit

GUSTAVUS GADOLIN,

BOREA FENNO.

IN AUDIT. MAG. die XXV/ JUNII
AN. MDCCCLXXXIX.

A. M.

Aboæ, Typis Frenckellianis.

DISSEMINATIONIS CRITICO-PHYSIOLOGICAE
QUESTIIONUM
AN MIRACULIA SUNT DIVINAE
MISSIONIS CRITICA
PHYSIOLOGIA

PARTE IV

CRITICO

COS. AMER. LAC. HILL. R. A. V. A. H. T. M. Z.
PRÆSIDIE
M. HEMINGO CRIBRAE

DISCUSSIONES

PRODUCTIONES
ET PROGESSUS IN
PRODUCTIONIBUS ET PROGESSIBUS

PRO CAVITATIBUS

PRO CAVITATIBUS ET PROGESSIBUS

DISCUSSIONES
ET PROGESSUS IN
PRODUCTIONIBUS ET PROGESSIBUS

PRO CAVITATIBUS

DISCUSSIONES
ET PROGESSUS IN
PRODUCTIONIBUS ET PROGESSIBUS

PRO CAVITATIBUS ET PROGESSIBUS

DISCUSSIONES
ET PROGESSUS IN
PRODUCTIONIBUS ET PROGESSIBUS



§. VH.

A bsoluta prima historiæ nostræ parte, eos jam com-
memorare necesse est, qui de auctoritate divina
miraculis auferenda solliciti, horum defensoribus in-
numeras difficultates molesti crearunt. Perpauci hi,
si ad immensam *affirmantium* multitudinem respicias,
refragatores, singulos tamen computanti plurimi vi-
dentur; justo etiam plus eorum passim esse auctum a qui-
busdam Zelotis numerum, simul facile largior (a). Ac
licet plerisque vel omnibus idem animus fuerit, funda-
mentum sc. religionis Christianæ firmissimum evellen-
di; tamen pro vel eruditionis amplitudine, vel judicii
acumine, vel animi affectionibus, vel ratione tempo-

A

ris

(a) Exempla talis *discretiōnōis* adsunt in *Diction. Philosophico WALCHII*, qui LOCKIUM, velut in *Spinoſe* do-
ctrinam consentientem, arte scil. dissimulandi tectum,
Religioni minus favisce; & CLERICUM hypothesin fal-
sam, qua optimum pro Christianismo argumentum
turpiter proscinditur (*geschrābet wird*), commendas-
se, sinistre interpretatur. Vid. voc. WUNDER.

ris & disciplinæ, vel adversariorum ingeniis diversis, varia sibi quique formarunt *ovisnata*, inæqualia fontibus s. principiis, veri specie, subtilitate & ubertate rationum, cæt., magis minusve nostris hominibus accepta, cæt. Qua igitur in varietate, ut certum ordinem scribens observem, a Philosophis veteribus, huic quasi sectæ addictis ordinar, ad recentiorum placita e-narranda dein progressurus; ubique cavens, ne plures in hunc censum referam, quam quos jure illuc relatos quisque ut spero concessurus est.

Omnes primum Atheos, quod *miracula non admittant*, reprehensos invenio (b); neque immerito, si quæ nullam in universa mundi compage caussam agnoscant, qualia sine Deo concipere non licet, *miracula dicantur*. Sed quum nobis signa divinæ missionis quærerentibus, ii soli qui Deum non negant, attingendi videantur, divini nominis osores jam mittimus, Veterum potius de criterio veritatis lites, nostræ quæstionis affines, paucis exposituri.

Homines ad eam, quæ maxime ad felicitatem interest, vera a falsis discernendi facultatem sibi comparandam semper prompti, primum sine dubio, infantibus similes, sensuum indiciis toti obtemperarunt: Quos autem duces non semper esse fidissimos, brevi perspicientes, rationem longe a fallacia remotiorem adjungere

(b) Vid. BUDDEUS *de Atheismo & Superstitione*, c. III. §. 5.

gere iis cœpere. Sed sicubi de hujus etiam dominæ erroribus hic illic conspicuis fuit persuasum, limites, ultra quos ipsi non liceret imperium exsequi, præscripserunt, latiores pro diverso cujusque judicio vel arctiores. PLATO igitur voluit mentem (*τὸν νέν*) esse rerum judicem, ratione (*τῷ λογῷ*) utentem, solamque cui crederetur idoneam. Rationem autem duplicem esse statuit, vel *δοξασινοῦ* s. *opinatricem*, qua *τὰ πραγματα αισθῆτα* s. *res sub sensu cadentes* percipiuntur, vel *επισημονικοῦ*, qua intelligibilia comprehenduntur: in illa quanquam iudicium sit, tamen ob hebetudinem & tarditatem sensuum non esse iudicium veritatis, sed *opinionem* (*δοξαν*); in animi notionibus atque rationibus solis *scientiam* (*επισημηνην*) obtinere (c). ZENO sapientem non opinaturum pronunciavit, h. e. non assensurum nisi percepto s. *Φαντασίᾳ καταληπτικῇ*, quam definivit *την ἀπό τις ὑπαρχούτος κατὰ αὐτὸ τὸ ὑπαρχον εὐαπομεμαγμένην καὶ εὐαποτετυπωμένην*, οἷα εἰ αὐ γενοίτο απὸ τις μη ὑπαρχούτος, *impressam* atque *expressam* ab eo *quod est*, *prout est*, *qualisque* *nunquam fieri* *possit* *ab eo* *quod non est* (d). ARCESILAS rejectionem quidem opinationis auctorita-

(c) Vid. CICERO Acad. I, 8. Cfr. PETRI VALENTINÆ Academic. I.

(d) Naturam phantasiaz comprehensivæ ipse Zeno, ut ait in Lucullo cap. 47. CICERO, gestu conficiebat: nam cum extensis digitis adversam manū extenderat, Vismum, inquietabat, hujusmodi est; deinde cum paulum digitos contraxerat, Assensus hujusmodi: tum cum plane compresserat, pugnumque fecerat, Comprehensio-

temque phantasiæ comprehensivæ probavit; opposuit autem Zenoni nihil esse quod percipi possit s. acatalepsiam, adeoque celebris illius *εποχης της διανοιας* in Scholam Platonis invectæ, auctor extitisse fertur (e). Idem se-
re sentiebat CARNEADES, & nova post eum Acad-
emia; cui quia multa cum PYRRHONE sunt communia,
brevem Scepseos, vehementer partim laudatæ, par-
tim contemtæ, partim asperius castigatæ atque quasi
proscriptæ, descriptionem exhibere non a re erit alienum: eoque id minus, quo inde clariora evadunt solu-
tuque faciliora, quæ a celebratissima dubitationis scho-
la mutuata, subdole licet sœpe ob odiosum sectæ nomen
fucata, in arenam protraxerunt recentiores nonnulli
miraculorum eversores.

A Dogmaticis omnibus facile dignoscuntur Sce-
ptici principe sua enunciatione seu *πρωτω ψευδει*, qua
nullum omnino admittebant veritatis criterium, eo
usque in dubiis quaquaversus ferendis pertinaces, ut
ne demonstratis quidem mathematicis (f) aliquam con-
cede-

nem illam esse dicebat. *Qua ex similitudine etiam no-
men ei rei, quod antea non fuerat, καταληψιν imposuit.*
*Cum autem levam manum pugno admoverat, & illum
pugnum arête vehementerque compresserat, Scientiam
talem esse dicebat, cuius compotem nisi Sapientem esse
neminem.*

(e) Cfr. PETRI VALENTIAE *Academic.* II. & IV.

(f) Cfr. SEXTUM EMPIRICUM *adv. Geometras & Arithme-
ticos*, s. *adv. Mathematicos libb. III. & IV.*

(‡) (‡) (‡)

cederent certitudinem, quam cæterum iis summam
tribuere consuevit omnis ætas; adeoque superstitione
in disputando religiosi, ut verum quid esse licet plane
non negarent, veritatem tamen in profunda velut vo-
ragine abstrusam, a se vertigine nescio qua insanabili
correptis atque titubantibus sibi visis, adiri decernique
non posse, præfracte urgerent. Cui rei, hominibus e-
quidem incredibili, fidem facere conabantur, contor-
quendis fere in modum sequentem sophismatis: Con-
troversia, inquietabant, inter Stoicos aliosque nonnullos,
Xeniadēm v. gr. & *Xenophanem* mota, an quæ sit veri
falsique regula? aut dijudicari potest, aut non pot-
est. Si hoc, in sempiternum cohibeatur necesse est
judicium; fin illud, opus est criterio ad quod quæ-
stio dijudicetur. Quum autem gratis nihil accipi de-
beat, idem criterium demonstrabitur primum; quæ
rursus demonstratio criterio in antecessum demonstran-
do eget. Quare aut vitii argumentationis (*circulum vo-*
camus) Dogmaticos arguerunt, aut identidem percon-
tando, fracta tandem adversariorum patientia, fineque
igitur responsionibus imposito, sibi victoriam vindica-
runt (g). Sed & aliam minus aculeatam, ad tria Do-
gmaticis probata *κείτησις* (videl. το *ὑφέστησις* a quo s. homi-
nem, το *διέστησις* per quod s. sensus & intellectum, & το *ναθός*
secundum quod s. phantasiam) oppugnanda, viam in-
gressi sunt. Asseverabant veritatem non cognosci, nisi

(g) Vid. ID. *Pyrrhon. Hypotypos.* lib. II. capp. 4^o & 9.

*) 6 (*

id quod eam cognoscit, comprehendatur: quoniam vero de definiendo *homine* inter Philosophos, alios suam ignorantiam verbis, alios irritis moliminibus fassos (h), minime convenerat, *eum* neque comprehendi posse concluēbant. *Sensus*, quos ejusdem rei objēctae imagines diversas saepe præbere observaverant, intellexerunt atque *phantasiā*, similiter respuerunt; quæ uberiorius ex suo reconditorio sunt promenda (i).

Ob hanc igitur ubique deprehensam rationum oppositarum æqualitatem (*διασθένεια των αντικειμενών πράγματων*), animū suū *πάθει* quodam (nam *δόγματα* recusarunt), *αφασία* nimirum, qua nihil unquam

(b) Socrates enim se dixerat *nescire utrum ipse homo, an alia quædam magis quam Typhon multiplex fera esset, η αλλο τι Θηριον Τυφωνος πολυπλοκωτερον*. Democritus imperite (SEXTI sunt verba) docebat *ανθρώπου ειναι ο πάντες ιδειν, idiotarum more, velut notissimam rem, quam ipse nescivit, quamque cognitu esse difficillimam præcepto: Γνωθι σεαυτον, pronuntiaverat Pythius, proponens. Epicurei δειπτικος hominis effinxerunt notionem, eum dicentes *τοιετον μορφωμα μετ' εμψυχιας, oblii non perinde esse, quod cunque ostenderent μορφωμα.* Stoici definierunt *ζων λογικον, θηητον, να παι επιτημης δειπτικον, & Plato: ζων αιπτερον, διπλυ, πλατυωνυχον, επιτημης πολιτικης δειπτικον, accidentia (τα συμβεβηκοτα) hominis, non hominem sic describentes.* Vid. SEXTUS l. c. cap. 5. & *adv. Logicos lib. I. sect. 263. seqq. edit. J. A. FABRICII Lips. 1718. fol.**

(i) ID *Pyrrh. Hypot. lib. II. c. 6, 7.*

quam negarent, nihil affirmarent, affici profitebantur; cuius etiam significandæ gratia variis utebantur symbolis (CICERONI notis): v. gr. & μαλλον, h. e. & μαλλον τοδε ι τοδε, ανω ι κατω θδεν ορισεον ενδεχεται και εκ ενδεχεται f. εν-
δεχεται μη ειναι επεχω f. εκ εχω ειπειν τινι χρη των προκει-
μενων πισευσαι, ι τινι απισησαι; παντι λογω λογος ισος αντι-
κεται, cæt. (k). Sed tantum de scepticis antiquis
dixisse sufficiat, quos miraculorum momentum alle-
vare non quidem negamus, sed nec urgemos, cautio-
ne eadē ac supra de Atheis freti.

§. VIII.

Rectius ea Stoicis inuritur nota, qui duo esse
dixerunt divinationum genera, particeps artis alte-
rum, alterum naturale. Illud conjectura notatisque
signis efficiebatur, ut in extispiciis, fulgurum & o-
stentorum astrorumque motus interpretationibus,
sortibus, auguriis & ominibus. Hoc concitatione quadam
animi instinctuque divino & afflatu fundebatur, ut
in somniis, & vaticinationibus per furorem. Verita-
tem utriusque comprobare judicabantur communis
civitatum atque hominum consensus, & exempla præ-
dictionum atque præfensionum, quas non Regibus tan-
tum & privatis, ex barbaris, Græcis & Latinis omnis
ævi populis, sed sapientibus etiam factas atque perce-

(k) ID. ib. lib. I. c. 18. seqq.

* * *

ptas secuti sint eventus indicati. Quarum nonnullas falso ostentari, alias obscuritate inexplicabili involutas reperiri, licet largirentur, tamen & multa vera contingisse contendebant, multoque plura esse eventura sperabant, si prudentia modo a consultoribus adhibeatur debita. Sic quum animus, qui cum innumerabilibus animis versatus, ab omni aeternitate vixit, a societate & contagione corporis sevocatus, praeteritorum meminerit, praefentia cernat, futura praevideat; onustis autem cibo & vino, dormientibus, ea pars animi, quae mentis ac rationis sit (docente *Socrate*), sopita langueat illaque duæ quae voluptatum sint & irarum, exsultent immoderateque jactentur: corporibus ita affectis, omnia nobis visa, a mente ac ratione vacua sunt, perturbataque & confusa; integris vero ad quietem euntibus, vigens animus (a), & appropinquante morte multo etiam divinior, clara omnia & vera cernit. Divinationem esse hac etiam ratiocinatione efficiebant: Si sunt Dii, neque ante declarant hominibus quae futura sunt, aut non diligunt homines, aut quid eventurum sit ignorant, aut existimant nihil interesse hominibus, scire quid futurum sit, aut non censem esse suae majestatis futura praesignificare hominibus, aut ea significare non possunt. Sed dili-

(a) Quare apud CICERONEM *Divinat.* lib. I. c 38. refellitur a Stoicis *Aristoteles*, eos qui *valetudinis vitiō furerent*, & *melancholici dicerentur*, habere aliquid in animis *præsagions ac divinum*, censens.

diligunt nos; probe perspicuum constituta ab ipsis atque designata; nostra multum interest scire quae sunt futura, quo simus cautores; neque alienum ducunt a maiestate, quum nihil beneficentia praestet, neque non possunt futura pranoscere. Significant ergo (b).

Adversus Stoicos egregia multa monuit TULLIUS, Academicorum more dialogis disputandoque rem disquirens (c). Divinationem omnem, rationibus partim philosophice saneque subductis, partim Sceptice a dissensu Philosophorum collectis (d), oppugnans (licet reipublicæ tamen causa constitutam, colendam censens): eam quoque videtur sustulisse, quæ ad miraculorum quoddam pertineat genus. Nihil quamvis pro certo definiamus, verba tamen sua dueimus apponenda: *Quicquid oritur, inquit, qualemque est, causam habeat a natura necesse est: ut etiam si præter consuetudinem extiterit, præter naturam tamen non possit existere.* Causam igitur investigato in re nova atque admirabili, si poteris. Si nullam repieres: illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine causa: eumque terrorem, quem tibi rei novitas attulerit, naturæ ratione depellito. --- Nihil enim fieri sine causa potest: nec quicquam sit, quod fieri non potest: nec si id factum est, quod potuit fieri, por-

B

ten-

(b) Cfr. IDEM *de divin. lib. I.*, ubi Stoicorum partes agit Quintus frater.

(c) IB. *lib. II.*

(d) Ex. gr. *I. c. capp. 49 — 51.*

tentum debet videri. Nulla igitur portenta sunt. Nam si quod raro fit, id portentum putandum est; sapientem esse portentum est. Sæpius enim mulam peperisse arbitror, quam sapientem fuisse. Illa igitur ratio concluditur, nec id quod non potuit fieri, factum unquam esse; nec quod potuerit, id portentum esse: ita omnino nullum esse portentum (e).

§. IX.

Sed oculos jam ad eos conjiciamus Philosophos, qui rapido augescentis Christianæ religionis cursui, quem armis fasciumve & securum vi coercere non possent, aggeres quasi quosdam argumentorum objicere sunt conati. Nata tum sere primo, saltem serio ventilari cœpta nostra quæstio, in scriptis antichristianis passim reperitur agitata; quorum quamvis etiam vestigia summo studio delendi, officium injungebat eorum temporum genius, *impietatis paganicæ acerrimus osor*, quædam nihilominus remanserunt, neque eæ molis prorsus contemnendæ, neque cæteroquin infimo loco habendæ reliquiæ, in diligentiorum Ecclesiæ vindicum (Apologetas dicunt) libris superstites. Quia igitur maxima pars perii, non ideo mox credendum existimo, simul & plurimas & splendidissimas religionis abolendæ caussa adductas rationes hodie ignorari. Nam & tum procul dubio eadem, quæ nunc late fer-

(e) *I. c. cap. 28.*

(b)

pit, apud adversarios viguit consuetudo, res semel jam prolatas, placitas maxime vel ob singularitatem, vel applausum vulgi optimatum ve, vel eruditiois aliquam speciem, mutata quasi vocis modulatione recantandi, vel eadem plane, cogente ingenii tarditate, identidem repetendi. Cæterum tam fervido in religionem suam amore tantaque in ea defendenda confidentia agebantur doctores Ecclesiastici, ut argumentum adversario-rum aliquod notatu dignum, intactum dimisisse vix sint credendi.

Inter eos, quorum hodie supersunt syllogismi, in Christianismo recens surgenti suffocando fatagentes Philosophos, eminent CELSUS, Epicureus (a), ΛΟΥΣ ΦΙΛΑΛΗΘΕΣ ab ORIGENE in VIII. speciatim eo spectantibus libris refutati, Auctor; acutus, neque indoctus, sed valde ut videtur in assertis inconstans. Primum velut fictitiam perstringit de Salvatoris miraculis histo-riam, priscorum fabulis, Perseo, Amphioni, Aeaco,

(a) Epicureum ipse dicit Origenes. Platonicis autem se-
quioribus f. Eclecticis annumerandum haud impro-
babiliter censet Ill. MOSHEMIUS in *præfatione* ad
Germanicam suam Origeniani contra Celsum operis
versionem. Pro Origenis sententia pugnant Eruditii
plurimi, ducti præsertim eruditiois celeberrimi Viri
fama, & maxime adversus MOSHEMIUM aciem instruit
Cl. BRUCKERUS *Hist. Crit. Philos.* T. II. pagg. 604.
seqq, & T. VI. pagg. 395. seqq. Videtur adhuc lis ju-
dicem desiderare, concedente Bruckero.

Minoi, divinam originem tribuentibus, æquiparata
 tam (b). Deinde, age, inquit, credamus hæc ab eo ge-
 sta, --- communia sunt facta cum præstigiatoribus non mi-
 nora miracula pollicentibus, cumque Aegyptiacis circula-
 toribus, paucis obolis mirificas illas artes venditantibus,
 & ex hominibus dæmonia profligantibus, morbos exsuf-
 flantibus, animas herorum evocantibus, cænarumque sum-
 ptuosarum & eduliorum opiparorum, inanem speciem ex-
 hibentium animantiumque spectra, quæ moveri videantur,
 cum non moveantur revera. Ergo quia hæc illi faciunt,
 credendum est nobis illos esse Dei filios? An potius dicen-
 dum has esse artes hominum nequam & infelicium? (c).
 Alias rursus, fidem historicam tollere non ausus, magi-
 cis artibus, non diuina virtute, S. Salvatorem, ex
 Aegypto scil. peritum mirificarum ejus gentis artium re-
 versum (d), miracula edidisse calumniatur. Quin &
 Christianos, magistrum imitatos, magiam (quam in
 rudes & male moratos homines aliquid valere, in Philo-
 sophia autem studiosos, salubri viciis ratione munitos,
 nihil habere virium, a Dionysio quodam musico Aegy-
 ptio, familiari suo didicerat), exercuisse, effigiebus Dæ-
 monum, & in vestibus, numeris, lapidibus, plantis, radi-
 ebus

(b) ORIGENES I. c. lib. I. c. 23. & ib. II. c. 33. Ver-
 sione utor Latina latè incomita SIG. GLENI, edit.
 Basil. 1571. fol.

(c) Ib. lib. II. c. 34.

(d) Ib. lib. I. c. 21.

*cibus, diversi generis amuletis (fictis, pictis, sculptis?), cæt. usos, eo certior tradit, quum & ipse le apud presbyteros volumina, barbara continentia dæmonum nomina atque præstigias, vidisse testetur (e). Ob arcanam præterea magicarum artium scientiam, hominem sibi videri non debere eximium, monet, quum eo etiam respectu sapientiores sint serpentes & aquilæ. Quos nosse multa adversus morbos ceteraque mala remedia, & lapillorum quorundam, pro amuleto *nidis* ad tuendam pullorum incolumentatem insertorum, virtutes: quos lapillos homines natii non parum suis accessisse facultatibus putent, modestus scil. docet (f). Qua igitur re considerata, irrigurus, in aliam partem tela vibrans, *O lucem & veritatem!* exclamat; *Juis verbis suaque voce profitetur* (Jesus), quemadmodum vestræ scripturæ testantur (Matth. VII: 22; XXIV: 24), adventuros ad vos alios quoque cum similibus præstigiis homines maleficos & præstigatores. Et Satanam vocat quandam, qui harum erit auctor artium. Atque ita ne ipse quidem inficiatur, ista nihil divinitatis habere, sed esse maleficorum opera, & veritate cogente suas simul & aliorum artes detexit. Annon igitur miserabile est & indignum, ex iisdem operibus hunc quidem Deum, alias vero præstigatores existimari! Cur enim ex hujusmodi artibus conjecturam sumentes, potius malos credamus, quam hunc, vel ipsius testimonio? Certe ipse fassus est hæc non tam di-*

B 3

vincæ

(e) *Ib. lib. VI. c. 18.*(f) *Ib. lib. IV. c. 30.*

vinæ naturæ, quam impostorum & scelerorum hominum esse indicia (g). Exemplis etiam spretorum ἀσυντρέψιων (quos pro veris habuisse videtur) Ethnicorum complurium, luculenter commonistratum putat, miraculis non esse multum tribuendum auctoritatis: Aristei v. gr. Proconnesii, rebus humanis exempti, rursusque manifeste conspiciendum se præbentis, --- etiam post interminationem Apollinis, qui eum pro Deo coli a Metapontinis jussit, a nemine Dei crediti; --- Abaridis Hyperborei, cum sagitta ejaculata lati per aërem; --- Clazomenii, cuius anima sape relieto corpore oberravit nuda; (h) &c. Idem tamen alibi, sui non memor, vel potius partium nimis studiosus, amplio laudum apparatu prosequitur Oracula Pythia, Dodonea, Branchidarum, Ammonis, aliasque partim prophetarum ac prophetidum, partim aliorum afflatorum tum virorum tum mulierum, fatidica voce ea canentium, quæ e Deorum adytis hauserunt; & victimarum exta, deorum oblatas species, cæt. quæ exscribere piget (i).

Sequitur JULIANUS Imp., cuius tres adversus Evangelia & Christianorum religionem libros, (narrante CYRILLO (k), acri eorundem reprehensore magnæque simul

(g) *Ib. lib. II. c. 38.* cfr. *lib. VI. c. 19.*

(h) *Ib. lib. III. c. 8.*

(i) Vid. *I. c. lib. VI. c. I. & lib. VIII. c. 16.*

(k) Vid. epistola qua suum ὑπερ τῆς τῶν Χριστιανῶν εὐαγγελίου δημοκρατίας πρὸς τὰ τὰς εν αθεοῖς Ιελινῶν opus, Theodosio dicavit. Ad manus est versio latina PETR. CANISH edit. Opp. O. Coloniæ 1546. fol.

simul partis conservatore), tanta orationis rationumque gravitate, ut carpi nunquam possent, esse instrutos, gloriabantur *superstitiosi* s. gentilismo dediti. Hic quum, ut ipse præ se fert, decrevisset *cunctis mortaliibus exponere caussas, quibus Galilæorum eruditionem (disciplinam), figmentum hominum malignitate compositum, nihil quidem divinum habere, sibi persuasum esset*; scomata eum in finem, ita ferente mordaci vel satyrico ingenio jactavit, quæ quia aures polluerent, se jam præteriisse testatur CYRILLUS (l), solisque argumentis insistere: Quæ tamen turpia ejus indolis expressa reliquerit, eo lubentius negligimus, quo certius nostræ non sint disquisitionis. Sed dicens Julianus, *a Paulo Ap. omnes magos & impostores, qui ubique terrarum sint, excelli* (m); & caussam defectus oraculorum redditurus, ea per se nasci, temporumque circuitu ab alia ad aliam gente migrare, atque misericordem nostrum dominum & patrem Jovem cogitantem, ne omnino communione deorum privaremur, dedisse nobis per sanctas artes considerationem, qua in rebus necessariis sufficiens habituri essemus subfidium (n), pronuncians: turpem superstitionem luculenter prodidit. Item: memoratu dignum nihil gessit Jesus, inquiens, nisi quis claudos & cæcos sanare, Dæmonumque agitationibus obtestando mederi, in

Beth-

(l) *Contra Julianum ab initio lib. II.*(m) *Ib. lib. III. fol. 186. D.*(n) *Ib. lib. VI. fol. 212. C.*(o) *Ait Cyrillus ap. VII. contra Julianum lib. II. fol. 186. D.*

Bethsaida & Bethania viculis, maxima opera putet, docere voluit, aut similia magicis aliisve quibuscumque artificiis effici posse, aut a populo barbaro, fallaciarum inexperto, astutis præstigiatoribus magnum nomen facile addi (o). *Numæ vero leges atque statuta, a Jove orbi esse data, ex inspiratione divina per Sibyllam, ex apparentia capitis in galea christæ, ex anciliis de cœlo lapsis, sua adhuc ætate in templo Martis servatis (pignore sic a Jove dato, non verbo, sed re, se civitatem Romanam perpetuo protecturum), rem manifestissimam judicat* (p). *Ethnicamque religionem (beneficam, utpote divinam), homines & circa animam & circa corpus ac externa beare, ut fiduni idolorum cultorem decet, lectorum inculcat animis; qua propterea relicta, ad peregrina atque pessima vadentes, vehementer carpit Apostatas. Nam sanat corpora nostra, ait, Aesculapius, erudiunt animas Musæ cum Aesculapio & A-*
pol-

(o) *Ib. lib. VI. fol. 210. D.* Græca Juliani verba, alter &c, ut videtur, non prorsus congrue, explicata, exhibet HUETIUS (*demonstr. Evang. Prop. IX. cap. 39. II.*): *εἰ μη τις οιεται τας κυλλας ηαι τυφλας ιασοσθαι, ηαι δαιμονιωτας εφορητεν εν βηθλεαδα ηαι εν βηθανια τας κωμαις, των μεγισων εργων ειναι.* Visionibus autem, & nugis magorum anilibusque variis captum fuisse Julianum, } ingentique igitur semper impostorum turba circumdatum, quin & ipsum his artibus earum magistros superasse, ex veterum narrationibus tradit BRUCKERUS *l. c. T. II. pag. 299, 301.*

(p) *Vid. CYRILLUS ib. lib. VI. fol. 211. C.*

polline, & eloquente Mercurio. Mars & Bellona in præliis simul certant. Vulcanus artes perficit & distribuit. Pallas cum Jove, virgo sine Matre, nobis præsidet. -- Me certe sanavit sæpe Aesculapius agrotantem, subministrans remedia; horum testis est Jupiter &c. (q).

§. X.

Solenne insuper, ut paucis me expediam, fuit Ethnicis, Deorum, Philosophorum, Magorum, similiumque portentosa opera, vel ab ipsis ex instituto facta, vel antiquæ jam fallaciæ vestigia, majoribus bona fide accepta &, velut cœlestis gratiæ documenta, puerorum memoriæ religiose infixa, Ecclesiæ doctoribus turmatim objicere, quo ne iisdem, quibus hi sua defenderent castra, armis destituti viderentur. Beneficiis Deorum tumentem nuper vidimus JULIANUM. E Philosophis autem ob actiones, si diis placet, patratas singulares atque stupendas inclaruit PYTHAGORAS, ut Deus fere a discipulis cultus; cuius rei testimonia sunt jurajuranda ad ejus, quasi alterius Jovis, nomen dari solita, proverbiumque vel ænigma, quod in ore ferebant: αὐθεωπος διπτες εσι, και οργις, και τριτον αλλο το γαρ τριτον Πυθαγορας εσι. Innumeræ de eo venditantur fabulæ: quod v. gr. in ursam quandam ferocissimam, a se comprehensam, pastam, adjuratam ne animalia læderet, tantum valuerit ut ea, recepta libertate, ne fe-

C

ram

(q) ID. ib. lib. VII. fol. 222, B.

ram quidem usquam invaderet; quod bubulcum jubens bovi edicere ut a fabis edendis abstineret, hoc autem cum risu respondente se linguam bovinam (*Βοΐσι λαλεῖν*) nescire, ipse aliquid in aurem bestiae insuffrayerit, quo facto ea, obtemperans dicto, mox abscesserit, & ad tardum usque senium interdictum Pythagoræum pie observarit; quod multis in memoriam revocaverit vitam, ab animabus ipsorum, antequam istis corporibus alligarentur, actam; quod signis certissimis se ostenderit, Euphorbum Panthi filium olim fuisse; quod a Caucaso fluvio, præteriens, clara voce salutatus fuerit; quod duobus uno eodemque temporis momento locis præfens, amicos utrobius sit allocutus; quod Abaridi Hyperboreo aureum sibi esse femur monstrarit, cæt. quæ a PORPHYRIO & JAMBlico collecta exstant (a).

The-

(a) Prodigis bene multis enumeratis adjiciunt ambo his scriptores: την μεριανην δέ τεραταν θεωματοτεραν και τερεταν περι ανθραγος σφροιως και συμφωνως εισηγηται, in reliquis etiam, & ad verbum sæpe, nescio quo casu consentientes. Sed junior erat JAMBLICHUS. — Pythagoram autem fuisse ex mendaciis, insania & stolidissima superbia compositum, decretaque ejus (conspicua in aureis carminibus, quæ quidem Pythagoræ non sunt, sed a discipulis conservata exigua tantum videtur, vid. PORPHYRIUS vita Pythagoræ pag. 208. ed. Holstenii Cantabrig. 1655. 80), pleraque obscura, inepta, superstitionis, castissimoque Dei cultui & voluntati contraria, judicat HELVETIUS libello de miraculis, quæ Pythagoræ, Apolloniο Tyan., Franc. Asfisi, &c. tribuuntur.

Théurgicas artes PORPHYRIUS quoque non aliis modo mandabat, sed in sua etiam esse potestate gloriabatur; Plotinum vero præceptorem laudabat ob intimam cum supremo Deo familiaritatem, & imperium in inferiores deos s. dæmones, quorum ope ac ministerio passim uteatur (b). Quin & JAMBlichopariter διδασκαλεῖοτάται καὶ δαυματίς præconium tributum invenimus (c).

Sed celebratissimus præ cæteris fuit APOLLONIUS TYANÆUS, quem philosophastrum, in omnibus quæ unquam homini vel gratiam vel dignitatem atque famam concilient, virtutibus longe eximum sibi finxit

C 2

PHI-

(b) Vid. BRUCKERUS T. II. pag. 228. seqq. 250. seqq. PORPHYRII s. MALCHI (quod a patre Phœnicio impositum erat nomen, unde Græce & Πορφύριος & Βασιλεὺς dicebatur) κατὰ χριστιανῶν λόγοις ἐσ, scripta opposuerunt præcipue Methodius Patarensis, Eusebius Cæs., & Apollinarius Laodic. Sed perierunt cuncta: illius quidem opera, imperatorum edictis suppressa, horum, iniquitate temporis deleta. Fuisse autem PORPHYRIUM, Philosphum κατ' εξοχὴν dictum Christianorum infensissimum hostem, haud obscure indicant Patres, eum vix sine execratione commemorantes. Ex iis quæ hic illic occurunt, laudatorum celebris viri λόγων frustulis, hoc loco observandum nihil ducimus, nisi forte quod narrante HIERONYMO, miracula ad SS. Martyrum sepulturas edita, dæmonum præstigias vocaret. Cfr. HOLSTENIUM de vita & scriptis Porphyrii capp. II. VI. X.

(c) Vid. BRUCKERUS l. c. T. II. pag. 264 seqq.

PHILOSTRATUS, ineptus licet adeo fabulator, ut nisi se veracem affirmasset, mendacium dissimulare noluisset ferre nobis credatur (d). Tanta etiam quadam in rebus gestis, fatisque, præsertim faustioribus, cum S. Salvatore similitudine hunc superstitionis & gentilismi instaurato-

rem

(d) Et quantam, quæso, fidem meret PHILOSTRATUS, jam ut argumentum fileam ab innumeris, quibus scatet vita Apollonii, ineptiis facile ducendum! Vixit C circiter post Apollonium annos. Ipso fatente, maxime sequitur *Damidem*, qui Apollonii discipulus itinerumque comes, facta, placita, dicta, & prædicta ejus omnia descripscerat. Cujus autem viri commentarios (quos præter Philostratum nemo ex antiquis vidit), nescio ubi latentes, usque ad Philostrati tempora ignotos, cognatus quidam *Damidis*, idem ipse Philostrato ignotus, Juliæ Severi Augusti conjugi notos fecit; quæ dicendi artis studiosissima foemina, Nostro in mandatis dedit, ut eos, parum diserte exaratos refingeret, cura elocutionis habita. Vid. ID I. c. lib. I. c. 3. In Aegis ab heroe suo gesta hausit ex libro Maximi cuiusdam Aegiensis, qui teste Eusebio, paucis singularia quædam Apollonii facta literis consignaverat. Mœragenis autem aliquam rationem haberri prohibet, ib., quia multa de Apollonio perperam tradidisset (ita πολλὰ δε τῷ περὶ τοῦ αὐδεῖα ἀγγοντας explicat OLEARIU in *diff. de Apollonio*); merito, quia testante ORIGENE lib. *adv. Celsum VI*, circulatorem versutissimum Apollonium esse putasset. Cfr. OLEARII *pref. ad Philofr. vitam Apoll.* & *dissertat. de Apollonio*; J. L. MOSHEMII *observat. Sacr. & Histor. critic. lib. I. c. 6. §. IX, X.*

rem suum donavit, ut valde sit probabilis suspicio, eum scribendo idem intendisse, quod dein pro virili, irrito quanquam labore, in λογω Φιλαληθει perficere conatus est HIEROCLES, Apollonii panegyricus, Christianæ videlicet religionis irrisiōnē & exhibitionem. Sic v. gr. in lucem nondum edito Apollonio, matri gravidæ spectrum quoddam apparens, se Protēum πολυμυρόφον, Deum Aegyptium, ex ea nasciturum nunciavit; ipse Apollonius se, sine præceptorum auxilio, omnes linguas & ea quoque, quæ silentio homines premunt, didicisse ac nosse jactitavit, ut Deum etiam & Regem se adorari passus; reus factionis & impietatis, cauissimū judice Domitiano Imp. dicturus, sententiis quibusdam S. Evangeliorum similibus (superba tamen & seditiosa voce) prolatis, repente disparuit, & amicis, per tres dies invisus, iterum se obtulit, manusqueprehendere suas jussit, ut vivum se esse iis persuaderetur, cœt. Sed sub laudum atque prodigiorum larva, pellicet histrionis ingenium (e); nos lectorem, cui nūgī satiari

C 3

(e) En tamen, ne quid desit, pauca modesti honestique animi indicia! *Quando disputabat* (Laudatoris sunt verba) ὡσπερ εκ τειπόδος, οὐδε, ελεγε, καὶ δοκει μοι, καὶ ποι Θεοσθέ; καὶ χρη εἰδηναι, probe scio, ita censeo, quorum feremini? (sicl. audaces, qui mecum, tanto viro, Deo, Rege, disputare non dubitatis) & oportet scire (me videlicet in errorem nunquam incidere), lib. I c. 17. Interrogatus quonam pacto sapientem disputare fas sit? ὡς νομοθετης, ut legislatorem, respondit, ibid. Ad urbem Zeugmatis appulsus, publicano quid adve-

fatiari voluope erit, remittimus ad PHILOSTRATUM, ejus indolis dapibus onustum: inde vadens, si ultiro haeret, adire velit EUSEBIUM, Hieroclis flagellum, rogamus.

Alios etiam plurimos portentorum artifices produxerunt; quod vel ex loco ARNOBII supra p. I. pag. 19. not. d. citato, patet. Nominati ibi Zoroastres (f), Da-

seni heret querenti, regessit: adveho temperantiam, justitiam, virtutem, continentiam, fortitudinem, toleranciam, multa eaque foeminei itidem generis conneccens nomina, lib. I. c. 20. Invalerat pestis Ephesum; Apollonius ad medendum accersitus, bono animo e-stote, inquit, cras tabem sistam. Omnis igitur aetatis homines ad theatrum duxit, ibique senem mendicium visum, facie squalida, pannis obsitum, undequaque circumcingi & velut diis inimicum lapidibus obrui jussit. Renuerunt Ephesi, ad naturae humanitatisque jura provocantes; sed instictus Medicus ille, animosque tandem, infortunio jam mollitos i-rratiique numinis timore, pro arbitrio flexit atque permovit. A cadavere lapidibus ablatis, canis, forma moloso similis, magnitudine maximo leoni æqualis, apparuit; mendicus evanuerat, lib. IV. c. 10. Quid plura? Spero me lectores omnis plane judicii expertes non habiturum.

(f) Quis hic fuerit, Ζωροαστης a Græcis corrupte dictus, ab Orientalibus varie זוראשָׁת, זְרֹאשָׁת, זֶרְאַשָּׁת, זֶרְאַשָּׁת, Zardast, Zerduscht, Zoradascht, Zerd-buscht, cœt., cognomineque זֶרְאַיִם vel זֶרְאַיִם docti vel sapientis insignitus; unde nomen desumptum, an unus tantum

Damigero, Dardanus, Vetus, Julianus (g), & Babulus.

fit hoc nomine celebratus, quando vixerit & unde ortus? infinita sunt disputata, quibus diu immorari non licet. Maxime vita est quæstio de multitudine Zoroastrum a vera lectione ac distinctione verborum Arnobianorum pendere. Tres igitur Salmasio nasccebantur, qui ita laudatum exhibit locum: *Age nunc, veniat, queso, per igneam zonam Magus, interior ab orbe Zoroastres, Hermippo ut assentiamur auctor, Bacrianus.* Et ille conveniat, cuius Ctesias res gestas historiarum exponit in primo, *Armenius Hostianis nepos; & familiaris Pambilus Cyri.* Ursinus ex eadem lectione duos numerat. Alii ita ut in nostro est exemplo, legentes, quatuor Arnobio commemorari judicant, inter quos STANLEJUS, qui tamen corrupta esse ultima verba & sic restituenda: *Armenius Hostianis nepos & familiaris: Pamphylius Erus;* cenlet, quintumque superaddit Proconnelium. PLINIO (hist. M. lib. XXX. c. I.) cognitum; vid. EJUSD. hist. Philos. Orient. I. I. c. 2. Unicum fuisse docet THOM. HYDE (hist. relig. veterum Persarum & Magram, cap. XXIV.), qui ex Orientalium omnium consensu, regno Darii קְשָׁתָּאַבְּ כְּשָׁתָּאַבְּ Khusch-tasp s. Hystaspis, in Persia floruit, Astrologiæ judiciariæ peritissimus. De quo suo parente vana innumerata atque ridicula garriunt Magi: v. gr. eum, ære liquido in corpus futum effuso, incolumem mansisse, vid. HYDE pag. 316; equo regio, cuius omnes quatuor pedes in ventrem detracti erant, ita ut in terram de-laberetur, sanitatem restituisse, ib. p. 321. seqq. (his pagellis longior legitur insula de equo fabula. Cui igitur placeat HYDUM l. c. consulere, eum docebit

Ius. Verum quis singulis sufficiet? Nos ex fontibus his Veterum turbidis satis jam haustum esse putamus; ad Recentiorum vero aliquanto limpidores jam accedere vetat nostra ad Pindum tendens properantia.

auctor libri cuiusdam Schâbnâma-neſr, quam nefarias innocentissimo Zerduscht struerent insidias Sapientes, sui inimici; sapientum scil. pacem ſæpe diſturbat invidia; quam sancte ille, in vincula conjectus, nihil comedens maneret, unoque pede ſtans, Deo laudes diceret, rel. rel.; Regis, vi nonimirum in antecelum potato, per trium ſpatium ſopiti, animam in Paradisum duxiſte, salvamque viſis amoenissimis illis campis reduxiſſe; Gjarnaspi, cum odore e rosa percepto, plenam omnium & factorum & futurorum Scientiam dediſſe; tertio cuidam immortalitatem; quarto corpus æneum, vulneribus non obnoxium, ib. p. 324; cæt. — Quid? quod vates idem erat diuinus, ſic tradiſte auctore libri Arabici אָנְגֶל לְאַתְפּוֹלִיָּה Levangeli in tantie apocryphi: וכאנְגֶל אַהֲלֵד אַלְרְבִּיסּוּעַ פִּי בָּוּת לְחַם עלי עַהֲד אַוּוֹרְדּוּמָן אַלְמָלָךְ אֵבְנָסּוּס וְאַפְּוָא מִן אַלְמָשָׁוָן אליו וּוּרְשָׁלִים כְּמָא הַנְּכָא זְאַדְשָׁת Regis, Betblebemi naſceretur dominus Iesu, ecce! ve nerunt ex oriente Magi Hierosolymas, prout predi xerat Zoraduſcht, cæt. vid. p. 16. edit. HENR. SIKE, qui in no cis nonnulla ejusdem farinæ ex Abulfaragio allegavit. (g) Julianum Chaldaeum manu lapidem diuiſiſſe, a quibusdam glorioſe jactari audivit Sozomenus hift. lib. l. c. 17. Eundem ſcripſiſſe de Dæmonibus libros IV, phylacteria pro singulis humani corporis membris continentis; filiumque habuisse Julianum Theurgum, theurgicæ Scientiæ mysteriorum itidem scriptorem, (quem Romanis imbre ſubito conflatō ſitim extinxiſſe rumor olim fuit incertus), auctor est Suidas.